

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0680
	0678
	0684
	0674
107	
Patribus gratias egi pro caritate mihi oblata et cum gratiarum actione hospitium possedi, quamdiu in Jerusalem fui, ingrediens et egrediens cum illis venerabilibus fratribus sicut domesticus et sine timore et sine Sarracenorum vexatione. Et sine expensis mansi in conventu optime provisus.	0689
Porro caeteri peregrini conduxerunt hospitium in domo Elphahalli, minoris Calini, Sarraceni, quae domus est intra montem Syon et Jerusalem in clivo, quo est descensus ad ecclesiam sancti sepulchri. In illa domo erant tres camerae et unum parvum solarium et in medio unum atrium vel una curia competenter magna, in qua stabant vites plenae botris, et sub domo erat magna piscina pro baptismatibus Sarracenorum. Duas ergo cameras dedit peregrinis Calinus, ipse vero et frater ejus retinuerunt tertiam cum suis supellectilibus, et peregrinis (B) in domo manentibus ipsi duo nec manducaverunt nec dormierunt in domo, sed eam liberam peregrinis dimiserunt, ex qua intrabant et exibant, et in ea quiescebat et manducabant, ementes necessaria eaque coquentes pro suo libitu. Diviserunt autem se peregrini in tres partes, facientes tres societas, ut eo melius et copiosius procuratio necessariorum fieri posset per desertum, et ut pax melius servaretur inter eos, quae difficulter servaretur in tanta multitudine. Prima tamen et secunda societas semper simul manserunt, sed tertia remansit similiter.	0629
In prima societate erant sex peregrini, scilicet:	0779
Dns. Johannes comes de Solms, junior omnibus, sed nobilitate generis clarior.	0579
Dom. Bernhardus de Braitenbach, nunc decanus ecclesiae moguntinensis.	0179
Dominus Philippus de Bichen, miles, praefati comitis custos.	Ende
Erhardus, quidam socius armiger et servus comitis.	
Johannes, dictus Hentgi, procurator et coetus expertus.	
Johannes Knuss, interpres linguae italicae.	
In secunda societate erant octo peregrini, horum haec sunt nomina:	Anfang
Dominus Maximus cognomento Sinasinus, baro de Roppestein.	
Dominus Fernandus de Mernawe, baro, miles.	